

III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 59.

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos.*

Herodoto Halicarnassæo.

Ex mundo superiore.

Klysium-Meum.-Die Martis 28. Aug. 1809. (Neov. 11. Aug. 1809.)

Res omnino digna est, quæ tecum, illustris Herodote! communicetur. Nova veteri Historiæ lux affulget. En operis frontem:

„*Liber sacculus veteris ævi, auctore J. F. a Rösch Regio Wittenberg. Geometrico Collonello: adnectitur Tabula Genealogica Imperantium ante Diluvium. Stuttg.?*”

Jam recensio ejus ex Diario quodam gallico: — Sub modesto hoc titulo opusculum hoc quasvis no tras historicas, chronologicas & mythologicas notiones subvertete conatur. Inter Eruditos Germania magnam excitavit attentionem, & gravibus controversiis præbuit occasionem. Nos demisse eo solum continebimur: ut Excerpta Dm. J. F. Rösch opinio-
nam adumbremus.

In Prologo declarat auctor: libellum aliquas solum notiones ævi veteris continere, propediem a se edendum alterum, sequæ antiquissima, quæ in orbe existunt subsidia texturum.

Præmissis his argumentum ipsum adgre-
ditur Cl. auctor; animadvertendum est, ait,
voces J-hova, & Elochim eandem significa-
tionem habere, quam Persicæ: Chang ti &
Tien. Jam Tien idem est, ac Imperator,
Rex, Imperans, pater &c. perinde & Jeho-
va & Elochim in Creatione ens supremum, in
lapsu primi hominis Monarcham, in fratri-
cidio Caini patrem Adamum, & in confusio-
ne linguarum Imperatorem Persiæ denotat.
Hæc axiomate obscuræ narrationes hæcenus
imperviæ intelligibiles redduntur.

Posteaquam igitur D. Colonellus clavem
universalem sibi eudisset, contendit: totam
sibi jam patere vetustatem. Adumbrat vetu-
stissimam historiarum protoparentis utpote
nostri. Contendit porro: Sidus polare ex Ur,
seu Uræ derivari, hocque nomen ex iis esse,
quæ Adamo tribuebantur.

Non minus disquirat profanam historiam.
Frustra Homerus immortale ingenium suum
fatis Priami Iliacique consecravat oris, uno
idæ Cl. auctor regna Priami, ingentemque
sternit gloriam Teucri, fontemque Iliadis.
Contendit is: Priamum, & Prometheus unam
solum, eandemque efficere personam; perpe-
ramque veteres Geographos urbem Trojam
minori Asiæ illocasse; Primum Regem Per-
siæ fuisse, quippe Abydum ad ostia sinus Per-
sici quærendum esse. Aequè in freto Ormus
Insulæ columnas Herculis, quas omnipotenti
ille manu eo transposuerat, aspectandas esse.

Alumni historiarum! qui raptam Helenæ adhuc creditis, diserte fabulam hanc non plus, nec minus fore quam occupationem Elymaidis per Prometheus; intelligatis: Agamemnonem nihil aliud esse, quam copiarum Ducem; Achillem, inimicumque Achillem, ipsum Neptunum equestris militiæ Ducem; obtinuisse exacto bello regionem Aderbaygiam Plutonium, æque equitatus Ducem, in qua tullicus Carcer Tatarus & eius existit. Jovem seu Kai-Kosrou durante toto bello in Ispaham moratum, urbe, ab illo seu Saturno condita, & Ilium adpellata.

In Baetris adparuisse excelsum virum Zoaroastrem, inde doctrinam ejus per totam late Persidem propagatam, & ab hac Epocha originem ducere velocem idiomatis progressum, quod germanicum audit. (D. Colonelius nequaquam primus est, qui plus minus serio contendisset: linguas quæ hodie ad Rhenum & Oderam vigent, ad oram Euphratis & Araxis floruisse. Gutturalis enunciatio litteræ Ch. & G. aspiratio litteræ H. & id genus Orientalismi eis, qui fulcrum pro Systemate suo quærebant, concludentia argumenta videbantur.

Huc usque nimio celeberrimum *Tamerlanum* Seculo XIV adnumeravimus, verum rubore suffusi ex erudito Colonello docemur, nos exiguo saltim videlicet: *termille annorum* numero aberrasse; en ipsa verba auctoris: „Brevi post tempore a transitu Israelis in Aegyptum utpote anno ante æram vulgarem 1700

advenit ex oriente occupationes faciens Scythia potiturque Babylone. Occupatori huius nomen *Timur Beg* (hoc quoque Tamerlano fuerat) Eorum Græci furore implacabilis *Timuris* persecutionem passi, ut sacra sua discrimini eripiant, ex Phrygia & Lydia in Europam migraverunt, quos probabile est etiam Latinos e Laconia in Latium secutos fuisse."

„Græci in densa veteris Historiæ caligine versabantur; si egoistica hæc & levis ingenii natio tempore Alexandri in omnibus linguis excultos & soletes Criticos Erodotos habuisset, quantam messem in hac arvis suis devicta orbis parte collecturi fuissent, cum 200 post seculis monumenta in ea reperiamus, quæ eorum attentionem effugerunt.

Hac ratione concludit laudatus D. Colonnellus Complexum immensarum historicarum detectionum suarum. Excerptis operculi hujus lectis, benevolo lectori liberum relinquitur, vetera an nova malit. Equidem hoc sentio: aut omnes veteres historicos libros blattis tinsisque relinquendos, novisque vacandum; aut cum D. Collonello cassibus, quos publicæ credulitati struxit, altum irridendum esse.

Ad te nunc, mea se convertit oratio, mellione Herodote! dic; amabo: si facta & res gestæ nostræ ætatis exactis tribus, quatuor-que annorum millibus ab alio Collonello Rösch examinatæ & eodem modo forma orbatæ sua fuerint quid fiet gloria excellentium nostrorum virorum? — pulvis quem Röschius noster pro arbitrio dispergere potest.

In his bellicis adjunctis sequentia ex Hispania adferuntur de 27. Julio.

Die 26. hujus primum quartumque exercitus agmen loco movit, & pontem super Quadramam in directione versus Torrijos superavit. Rex cum copiis subsidiariis *Bargas* tetendit; unde ad medium exercitus profectus est jussa editurus; Copiæ in campis *S. Dominici* stationem fixere, in quibus hostem cum validis copiis consistere constabat. Agmen Ducis Bellanensis primum per planitiem progrediebatur, numerosum in hostem incidit, qui omnes adparatas proelii fecit. Tormentorum explosiones ex utraque parte ceperunt, & pugna brevi post communis orta est; successu nec momento anceps fuit. Tumultus copiarum nostrarum principio statim hostem perculit, clade mox affectus est, ubi primi agminis postremas cohortes comparere vidisset, eratque perfecta, antequam quartum agmen aciem formasset; Mareschallus Dux Bellanensis aliquot pedestres & equestres legiones hostem insequi jussit; Ad *Alcabon* elegans equitatus adgressio per unam legionem nostrarum Cohorte partim *Dimachorum Villa viciosa* nuncupatorum, partim aliis cohortibus con tantis hostilis equestris agminis facta est; Agmen hoc, quo & Angli continebantur, totum pene attritum est. Effectus pugnae hujus diei consistit in numerosis cæsis, sauciis & captis hostibus. Hostis versus *Ollalam* se recepit. Acriter eum persequuntur. His splendidis successibus exactis, Rex statuit exerci-

tum ad hanc stationem promovere, hostem persequendi causa. Videtur ipse rex cum copiis suis subsidiariis eo concessurus, & princeps suum hospitium hoc adhuc vespere ibi erecturus. — subjicit Monitor: ante hunc, qui in modios a Toledo distantia locum habuit, eventum suum exercitus agmen pro sua parte notabiles progressus fecisse.

Amstelodamo de 4-7. Aug. Dubio vacat: Anglicanam expeditionem adversus Selandiam contra Gallicam Classiculam, & Antwerpiam tendere; exercitus agmen, quod dace *Tarayr* coaluit, quotidie augetur; & undique copiae Antwerpiam proficiscuntur, probabile est. propediem rem notabili facto dirimendam esse. Classicula sub imperio Adm. alis *Ruyssch* ad stationem ita dictam *Krammer* collocavit; *Mareschallus* a *Winter* ea in regione imperium militare tenens, rem exemplarem *Colonelli* *Locumtenentis Ossewaarde* regi commendavit: praefuit illi Cohorti Classiculae ad *Veeram*, congressus cum hoste quamvis viribus superiore cum *Admirale Ruyssch* conjugere se novit.

Die 4. Sua Maj. & rei maritimae minister ad stationem discessere. Rex *Rotterdam* est. *Mareschallus Domonceau* supremum copiarum terrestrium & navalium *Amstelodami* & ejatis orae adeptus est. Adjuncta hodierna quamvis Galliae periculosa, nostrae patriae gravia sunt; eventusque probabit: amicos patriae pro hodierno rerum ordine vera & efficacia sensa fovere.

Quod ex Insula Walchria comperimus his continetur: Pro Tribunum *Boquerdt*, qui *Veeram* defendit, pertinacissime resistere, quamvis locus tenuiter provisus; plures hostiles naves mersit. *Wissinga* strenue defenditur; quod ad Gallicam Classem: constat infra *Lillo* consistere, vix hostilem adgressionem passura.

Res mira: hominem ut *Locumtenens Generalis Bruce* est, tantopere regiminis fiduciam procurare sibi novisse, ut summi momenti honori admoveretur, hic erat expeditus cum mandato Insulam *Bevelandiam* australem ad ultimum usque defendendi, at hosti tradidit quin ausus esset idum tormenti aut sclopi tentare, seque *Bergam ad Zomam* recepit. Celebrato Bellico consilio militari dignitate exutus, inhabilisque quibusvis muneribus declaratus, insignia quoque Unionis ei detracta sunt.

Senator & Gen. Dux *Rampon* gallico exercitui *Antwerpiae* coalescenti praest. Cohors Gen. Ducis *Chambarihac* jam ibi 12000 virotum; Gen. Dux *Charbonnier* cum aliis copiis in horas expectatur. — vix omnes *Parisiis* *Antverpiam* milite scitent. Stationes *Berga ad Zomam*, *Sternberga*, *Willemstadt* Praefecto agminis *Milet*, Colonello *Howen*, & Gen. Duci *Dury* creditae. Exundationes adparantur. Gallicus Gen. Dux *Mussussi* excellenter militares fecit motus, re tormentaria gravi se liberavit, ut molestum per *Scaldim* transitum perficeret. Classicentiam suam supra *Lillo* locabat, & ultra 12 horas in conspectu hostis navigabat.

Middelburgum die 2da huius erant
Capitulationem se dedit, at *Vllessi* 2
 die adhuc 5. se defendit, (annum officiosæ us-
 que 7. hujus ex *Hollandia* relationes)

B I O G R A P H I A.

Herodotus pater profane historię: cele-
 berrimus Græcorum historiographorum: *Lixus*
 & *Dryo* ei parentes, quibus *Halicarnasso* *Car-*
riæ a. X. 404 editus *Luci*. *Sannum* petiit, tom
Aegyptum, *Italiam* totamque peragravit *Græ-*
ciam. In his itineribus origines historiarumque
 gentium dicit, scripsitque 9 libros qui su-
 persunt. Græci, quibus in *Conventibus* *Olym-*
picorum ludorum eos præligit, tanti eo fe-
 cere, ut 9 musarum nomen iis inderent, &
 prætereunti inlamarant: *En virum! qui vi-*
ctorias nostras tam digne cecinit, emolumen-
taque a Barbaris relata celebravit! Ejus hi-
 storia dialecto *Jonica* scripta est, genus scri-
 bendi adeo perspicuum, facile, evidens, adeo
 leporis, nitoris, elegantię plenum, ut cunctis
 historicis præstet. Quamvis *Criticæ* subjectus
 sit, certum tamen, ejus historiam certissimum
 veterum populorum fontem esse. Plerumque
 ad certos fidedignos testes provocat, quod si
 nequit, fatetur ultra se fidem præstare non
 posse; paucis: *Herodotus* in historia id est,
 quod poetis *Homerus*, & *Demosthenes* *Ora-*
toribus. Tribuitur ei quoque *Homeri* vita
 nono libro adnexa, at hæc quidem recentio-
 rem auctorem habet.